

5+6/93

IDIBVS DECEMBRIBVS
MCMXCIII

VARIVS
ROR VARIVS I
VMOR VARIVS F
RVMOR VARIVS F

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
ROR VARIVS
A D I V S

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	ÖS 170.--
In ceteris Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	ÖS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

In hoc libello Rumoris Varii inter alias symbolas etiam de
ursis Bernensibus legere poteritis. Ad quam rem fabulae
duae Bernenses de larvis vel phantasmatis, quas narraturus
sum, et ad urbem Bernam et ad tempora natalicia novique
anni pertinentes aptae mihi videntur. Quas fabulas in
libello ab Hedwig Correvon composito inveni, cui titulus
est 'Fabulae de larvis Bernenses'.

Accipite nunc fabulam titulo 'Beginae saltantes':

Tempore natalicio quidam homines, qui a divina bona arte
divinationis praediti vel sub extraordinario astro nati
sunt, septem lumina parva super undas Arurae fluvii Bernen-
sis quiete profluentes saltantia vident. Flammulae attol-
luntur et summittuntur invicem et circumcursantes aliae
alias captare conantur, ut in choreis saltent. Hic ludus
amoenus aliquantum temporis durat. Subito, cum campanae
horologii turris ecclesiae, cui nomen 'Nydegg' est, ictibus
gravibus mediam noctem nuntiare incipiunt, flammulae sal-
tantes micant et dolorose magna voce gemunt. Secundo
ictu horologii sonante lumina dilapsa sunt.

Quae lumina Beginae (quo nomine participes cuiusdam ordinis
monacharum vocantur) esse dicuntur, quae iuvenes mulieres
invitae in monasterio, quod olim ad ripas Arurae situm
erat, inclusae sunt. Temporibus sacris spatium eis concedi-
tur, quo aliquantisper iuventutem ereptam restituere et
frui licet. Quod saltantes super undas murmurantes Arurae
luna lucente faciunt.

Alteri fabulae titulus est 'Lusores': Tempore anni novi
accidit, ut pauper mulier, quae vestimenta lavare solebat,
noctu vestes in alveo poneret, quas postero die lavaret.
Subito strepitum audivit et oculos tollens maximo stupore
duos equites loricos animadvertit. Qui dixerunt: "Quietem
age! Aliter moritura es! Nonne scis hoc tempore negotia
maiora agere non licere? Hic mane, sed ne enuntiaveris,
quae nunc videbis!" His dictis equites ad mensam consede-
runt. Mulier pauper flere coepit et dixit: "Domini, quid
agam? Liberis meis cibus non est, nisi negotia ago." Tum
alter eques manum eius prehendit et eam in angulum duxit.

"Redi cras in hunc locum", inquit, "et in solo ansam videbis. Quam cum ceperis et traxeris, operculum aperietur. Sub eo praemium silendi tui invenies. Sed vae tibi, si quid effuties!"


Tum iterum ad mensam consedit et manipulum chartarum deprompsit, et equites chartis ludere coeperunt. Dum ludunt subito porta aperta est et femina iuvenis et pulchra intravit et ad fenestram gressa est. Ibi in sella consedit et librum legere coepit. Equites chartis ludere perrexerunt, femina pulchra legere non desiit. Neque colloquebantur neque spectabant alii alios. Post duas fere horas alter eques subito chartas in mensa deposuit. Alter dentibus frendens gemuit: "Victus sum", et exsiluit. Alter palluit mortuo simillimus. Tum mulier pauper spectans horrore perfusa vidit equites feminae pulchrae appropinquare. Eam corripuerunt - tum clamor horribilis et strepitus corporis ad viam allisi auditus est. Equites feminam pulchram e fenestra deiecerant. Mulier ad fenestram cucurrit, sed nihil vidit nisi noctem nigram et vacuum hians. Equites quoque dilapsi erant. Nunc mulier causam horribilem intellexit: Equites de vita feminae pulchrae luserant. Cum mulier pauper postero die ad locum, quem eques ei monstraverat, perveniret et ansam traheret, ut ille iusserat, sub operculo sacculum nummorum aureorum plenum invenit.

Sit vobis annus novus faustus, felix, fortunatusque!

Valete!



Daniel Weissmann



ORDO RUMORIS VARIII FASCICULUM CENTESIMUM CELEBRANTIUM

Genovefa Immè 'Rumori Variorum' caro commentario s. p. d.

Fasciculum centesimum tuum libenter legi et, hortantibus Udalrico Aeschlimann patre tuo et Daniele Weissmann compatre, volo esse in numero eorum, qui hanc festivitatem laetanter celebrabunt in fasciculo centesimo primo.

Te non omnino ab infantia tua cognovi, care libelle; a prima tamen pueritia tua (ab anno 1981°) te cognoscere et diligere simul coepi; iam vero quindecim annos natus es et tam bene nutritus et ornatus et educatus a patre et compatre et ceteris familiaribus tuis, ut et iucundus et hilaris factus sis plenusque salibus et sapientia; praeterea vestis tua, cuius color in annos mutatur, bellula elegansque est. Per varias terras iter facis, ut Latinas fabellas et ludos et carmina et historias et relationes et 'rumores' revera 'varios' nobis distribuas libenter legenda. Itaque nos, qui sumus et lectores et amici tui, adventum tuum assidue cum spe exspectamus et te, ubi primum advenisti, in scriptoria mensa sub oculis nostris laetanter ponimus, ut legamus, quaecumque nobis narras. Immo nobis videmur te audire narrantem.

Mihi, quae commentarium Latinum quoque, cui titulus 'Memento Audere Semper', edo, videor fraterculum tuum educare (nam Kalendis Ianuariis anni 1980 solum meus natus est). Hic fraterculus tuus mecum festivitatem tuam concelebraturus est, aliquid de te referendo in proximo fasciculo suo. 'Feliciter' tibi dicimus et longam faustamque vitam tibi optamus: Perge, quemadmodum coepisti, nos textibus maxime variis delectare; perge quoque Latinam linguam per gentes varias propagare et promovere: Nam insatiabiles sumus: Itaque, dum tibi gratias agimus pro iucunditatibus, quas iam nobis adtulisti, simul te oramus, ut novas anterioribus addas delectationes. Per te Helvetii se praebent dignos heredes eorum, qui in Imperio Romano olim fuerunt; per te Latinitas etiam nunc viget et floret. Tecum collaetamur et valde speramus nos fasciculum proximum tuum mox accepturos.

Vale!

Genovefa Immè

Spectatissimi moderatores,

Benigne, quaeso, accipiatis hos versiculos, quos ad commentarios vestros celebrandos modo composui:

En tribus his lustris bene nunc laetare peractis,
nostris iam merito care libelle animis;
accipe vota Tibi, quae corde precamur aventi:
lectores plures undique pellicias!

Orestes Carbonero



Facete lepideque dicta

Aliquando mendicus in urbem alienam advenit, dum ibi magnificentiae nuptiae filiae mercatoris divitis celebrantur. Mendicus a nullo invitato observatus convivis clam se inserere et ad epulas festivas adsidere voluit. Sed propter vestimenta pannosa statim detectus et alienus se irrepens cognitus et fugatus est. Tum ad domum vicini divitis festinavit et eum cum lacrimis imploravit, ut sibi per nonnullas horas nobilem vestem sericam commodaret.

Cunctans et invitus vicinus preces miras mendici exaudivit. Mendicus veste pulchra indutus iterum convivis nuptiarum se inseruit, et nemini displicuit. In epulis casu iuxta convivam assedit, qui eum agnovit et subridens susurravit: "Convivatorem decepisti. Si enim sciret, quis sis, numquam te ad epulas admitteret."

Tum mendicus aequa mente: "Neminem decipio. Honor enim non mihi, sed vesti sericae habetur!"

"Unde natus sum?" Lucius patrem interrogat. Pater: "Ciconia te apportavit." - "Et unde tu natus es?" - "Me quoque cico-

nia apportavit." - "Avumne quoque ciconia apportavit?" - "Ita est."

Postero die in schola Lucius in commentatione (1) themate "Quis sum?" scripsit: "Secundum verba patris mei in nostra familia ex tribus aetatibus hominum nullus partus naturalis factus est."

Rex in venatione versans in anatem sclopetavit (2), sed eam non tetigit. Cum ex saltuario se comitante quaereret, nonne tetigisset, ille respondit: "Placuit Maiestati, anati veniam tribuere (3)."

"Excellentissimum opus composuisti!" praefectus theatri scriptori dixit. "Haec fabula tua in scaenam producet, cum homines Frederici Dürrenmatt iam dudum obliti erunt." Ad quae scriptor gaudens: "Re vera id opinaris?" Praefectus: "Certe. Sed non antea..."

Lucius ad mercatorem veniens questus est: "Canem vigilantem mihi vendidisti, quem plane fidum et attentum esse affirmavisti. Superiore nocte effractarii in domum nostram irruerunt et 300 francos rapuerunt, sed canis ne latravit quidem."

Tum mercator: "Veniam peto; sed antea canis apud homines divitissimos vixit. Summas tam parvas non curat neque agit."

Iudex ad reum: "Dixistine metum te invasisse, cum marsupium furatus es?"

Reus: "Ita est, domine iudex. Metui, ne marsupium vacuum esset."

Amici duo ad lacum ibant pescatum. Sed pro piscibus ollam, nonnullos calceos, ahenum radiophonumque vetus ex aqua traxerunt. Tum alter pavens hamum abiecit et dixit: "Abeamus celerrime! Hic in profundis lacus aliquis habitare videtur."

* * * * *

Filius graphologi a magistro interrogatus est: "Quid pater tuus de annotationibus meis in tuo libello commentationum (1) dixit?"

Tum filius graphologi: "Homo iracundus, ad vim tendens, intellegentia minore praeditus."

Ramona ad amicum quendam: "Maxime gaudebo, si hodie vesperi conviva noster eris. Ab hora octava usque ad horam nonam convivis meis nonnulla carmina cantabo, et hora nona cenabimus." - "Maximas gratias tibi ago", respondit comiter invitatus. "Libenter adero. Veniam diligenter hora nona."

Aliqui homines iocosi sacerdoti vici illudens per iocum nuntium mortis eius actis diurnis (4) inseruerunt. Sacerdos exhorrescens et indignans episcopo statim telephonavit. Ille: "Certo nuntium mortis tuae legi, mi optime. Sed dic mihi, unde nunc telephonas?"

Novo Eboraco in vico Manhattano aliquis Americanus vestimenta, quae in officinam lavatoriam Sinensem ad lavandum apportaverat, repetivit. In charta emporetica (5) nonnullas litteras Sinenses animadvertit. Quas digito demonstrans dixit: "Certo hoc modo nomen meum scriptum est?" Tum functionarius Sinensis: "Non ita est. Significat: Vir crassus, parva statura, caput calvatus, naribus obliquis."

Cum puella in silva ambulabat, subito rana magna coaxavit: "Basia me, millionarius arte magica in aliam naturam conversus sum!" Puella se demisit, ranam sustulit et diligenter in pera posuit. Tum rana indignans: "Cur me non basias?" Puella "Cavebo!" ait. "Millionarii frequentes sunt ut harena litoris maris; quis autem umquam ranam loquentem possedit?"

Iudex ad reum: "Scito, alcohol solum est causa praesentis tuae condicionis pessimae."

Reus: "Maximas gratias tibi ago! Primus es, qui non in me ipso culpam videt!"

Nobilis familia certior facta est sobrinam procul cognatam negotia meretricis exercere. "Horribile auditu", comes vetus gemens dixit. "Propinqua familiae nostrae negotia exercendo victum quaerere coacta est."

Experrectus in valetudinario Gaius amicos lectum circumstantes interrogat: "Quid evenit? Cur hic sum?"

Tum amici: "Nocte superiore tertia fere hora fenestram aperuisti nobis demonstraturus, quomodo aves vere ineunte volarent."

"Sed - hercle -, cur me non retinuistis?"

"Putavimus te id posse."

1 commentatio,-onis	Aufsatz/ rédaction/ tema/ redacción / composition
2 sclopetare	schiessen/ tirer/ sparare/ disparar / to shoot
3 veniam tribuere	begnadigen/ gracier/ graziare/ graciare/ to pardon
4 acta diurna n. pl.	Zeitung/ journal/ giornale/ diario/ newspaper
5 charta emporetica f	Packpapier/ papier d'emballage/ carta imballaggio/ papel de embalar / wrapping paper

Daniel Weissmann



VIVANT FESTIVALIA CINEMATOGRAPHICA!

Hac aestate initio festivalium cinematographicorum in foro magnifico media in urbe nomine Locarno pellicula Anglica exhibita est. Quae pellicula cum titulo 'O Rosalinda' est de illo melodramatio Ioannis Strauss, quod 'Vespertilio' nominatur. Scriptores scaenarum, Michael Powell et Emeric Pressburger, famam ingenii habent. Pellicula eorum spectatores sale et lepore pellicit. Sumus in urbe Vienna post

secundum bellum magnum eo tempore, quo urbs viribus, quattuor, id est Anglicis, Francogallicis, Americanis Russisque occupata erat. Emeric Pressburger res eas fere nostra aetate gestas in medium profert. Duces centurionesque alienarum terrarum oculis nostris praebentur, persaepe vero modo ludibundo, quod magnae audaciae erat.

Demiurgus ille, nomine Falke, qui in melodramatio dominatur, hac in pellicula vir urbanus cuiusdam levitatis ingeniorum est, qui rationem belli 'frigidi' gerendi optime didicit.

Sed omnes res modo affabili locum habent, nam Orlofsky 'summus ac perfectus imperator' homines lautos in convivium adhibet apparatusque epulis excipit. Viri feminaeque personati super ingens linteum extentum volant, saltantes, cantantes, bibentes.

Voces audaciae plenae aut per iocum aut serio dictae audiuntur. Imagines persaepe a consuetudine communis sensus abhorrentes videntur. Spectatores multas res, quae prodigii similes sunt, animis concipere debent.

Barbara Maier

DE TURRI FERREA NOMINE 'EIFFEL'

In urbe illa, Lutetia vocata, in ripa sinistra Sequanae fluminis ad extremum Campum Martium, turris ingens nomine 'Eiffel' in caelo existit. Quattuor pedibus firmissimis in solo posita e terra surgit velut sagitta caelum petens. Turris illa viatoribus, qui Lutetiam adveniunt, iam procul apparet. Est vero urbis insigne. Cum exstructa esset, permulti poetae, scriptores, artifices eam turpissimam visu duxerunt. Dicebant enim turrim istam Lutetiae dedecori esse.

Aetate nostra autem homines turrim conspiciere assuefacti sunt. Lutetia urbs sine turri illa Lutetia non esset. E summa turri undae sonoriae per aera diffugiunt et eodem loco aliae undae excipiuntur. Machinae quaedam eos, qui visendi causa veniunt, sursum evehant. E turri urbem totam, suburbia, tecta innumerabilia, ecclesiae, maximum arcum, Sequanam flumen admirari possunt.

Barbara Maier

DE URSIS BERNENSIBUS

Bernae urbi et Bernensibus coniunctio extraordinaria est cum ursis. Ursus in insigni urbis apparet, et fama est post urbem a duce Berchtholdio Zähringiensi conditam anno 1191°, quod viris venatum exeuntibus primum animal ursus occurrit, qui lingua Theodisca 'Bär' appellatur, urbi novae nomen 'Bern' datum esse. Sed re vera id nomen aliam originem habere historici nostrae aetatis dicunt.

Quomodocumque res se habet, constat ursum Bernae animal principale et maxime amatum esse. In hac urbe et in fossa ursorum et in therotrophio nomine 'Dählhölzli' (Latine 'silva pinorum silvestrum' dici potest) ursi vivunt. Accipite nunc huius anni duos eventus!

De ambulatione paschali ursorum parvorum

Bernae mos est die paschali ursulos parvos, qui ineunte febre anno nati sunt, in fossa ursorum matre ducitrice primum stabulam relinquere et in publicum prodire. Non omni anno parvuli ursi nascuntur, sed hoc anno trigemini ursuli die 8° mensis Aprilis primum coram publico spectari potuerunt. Cum illa die stabuli porta aperta est, prima mater nomine Selma suspiciosa et curae plena progeniei suae tres menses natae egressa est et circumspexit cognitura, quis ad se et ad pullos suos videndos venisset. Aspectus mediocriter tantum ei placere videbatur: mox in stabulum revertens hominibus spectantibus posteriorem corporis partem advertit et suos pullos curavit.

Sed trigeminos ursulos cupiditas res novas cognoscendi invasit, et primus Björn foras ire ausus est, quem statim soror eius, Milli vocata, secuta est. Paulo post frater quoque, nomine Ralph, prodiit et postremo mater Selma iterum stabulo excessit.

Imber continuus cadebat, sed id ursos non molestabat, Milli excepta, quae in solo madido et lubrico saepe lapsa est, dum photographis, diurnariis cinematographisque una cum fratribus se praesentat.

Prima ambulatio sub caelo libero trigeminis ursulis, quorum pondus iam decem chiliogrammorum erat, gaudium afferre



videbatur. Semper prope matrem euntes nova loca exploraverunt, hic et illic odorati sunt, aequam mentem servaverunt fulguribus photographicis micantibus ac machinarum photographicarum strepitu sonante.

Ralph primus animadvertit arborem in fossa ascendi posse.

Vix primum ramum ascendit, cum soror et frater secuti sunt, et Selma mater providens venit et pedem in primum ramum ponens demonstravit, quomodo ipsa olim in pueritia sua arborem conscendisset.

Laeta et paulatim paululo defessa ursorum familia in fossa circum ambulavit. Postquam Milli matre monente tamen in piscinam cecidit, Selma quoque in aquam desiliit et pullis etiam artem natandi demonstravit.

Ergo prima ambulatio trium parvorum ursorum tranquilla et hominibus spectantibus iucunda erat - donec photographo cuidam in mentem venit praefectorem therotrophii, Max Müller, ursum parvum bracchiis tenentem photographare. Cum Max Müller in fossam descendens unum ursulorum cepit, mater ira incensa et suo pullo metuens surrexit et magna voce rugiens reclamavit, et parvo urso quoque tumultuanti id factum nequaquam placuit. Si ursi discernere potuissent, Max Müller propter hoc facinus diurnariis plus quam ursis aptum certe ictu unguis ursini punitus esset!

De saepe ursorum nova in therotrophio



Jedi et Assad in sua saepe nova

Mense Maio huius anni Bernae in therotrophio 'Dählhölzli' nova saepes inaugurata et duobus ursis Syriacis, ursae 'Jedi' et urso 'Assad', tradita est. Quae saepes in silva sita maxima et pulcherrima saepes ursorum Helvetiae dicitur. Etiam duo ursi maxime gaudere visi sunt. Primum dubitantes et incerti, tum fortiores et maiore animo, postremo maximo cum gaudio novam saepem exploraverunt. Pro cavea 200 metrorum quadratorum nunc in saepe 3600 metrorum quadratorum vivere possunt, media in silva arboribus ornata, in solo silvanae terrae gradientes, piscinam et rivum, in quo pisces, qui captari possunt, natant, habentes. Itaque in regione naturali ursi vitam rerum naturae convenientem agere possunt: Per silvam ambulare, in piscina vel rivo natare et piscari.

Hic locus amoenus saepimento 340 metrorum in longitudinem et trium et medio metrorum in altitudinem circumdatur.

Ut ursi, ita homines quoque maxime gavisii sunt, imprimis praefectus therotrophii et repraesentatores illarum institutionum, qui pecuniam dantes magnam partem sumptus saepis aedificandae susceperant.

Daniel Weissmann Bernensis



Ursa 'Jedi' rivum novae saepis explorans valde contenta esse videtur



EPIGRAMMATA POLITICA

**Marco Pannella, corruptionis quondam insectatori impavido,
corruptorum nunc defensori impigro**

Desultoris amas habitum variosque volatus:
id tibi quadrat enim quod modo displicuit;
attamen est aliquid constans in moribus istis:
nostrates de te concupis usque loqui.

Facete lepideque dicta

De peregrinatione inutili

Olim femina fidelissima peregrinationem faciebat in urbem illam Francogallicam, quae Lapurdum (Lourdes) vocatur. Ilico inter magna manu peregrinatorum peregrinatriciumque versans et sperans se tali modo a morbo molesto, quo forma tussis afficeretur, mox refectum iri, ab aliquo peregrinatore comitanti, comiter subridenti adlocuta est his verbis: "Si domi essemus", inquit, tibi remedium contra tussim tuam commixtum darem."

De minatione efficiente

Olim quispiam magister artis tuba canendi viam profecto idoneam invenit, qua discipulis - sive pigris sive malignis sive male eruditis - maximo effectum minaretur. Quorum cuique enim his verbis minari solebat: "Fac, ut puer bonus et benignus esse videaris! Nisi ita feceris, parentibus tuis dicam te esse puerum bona indole praeditum!"

De reo simplici poena gravi damnato

Inquisitione in iudicio confecta reus poena gravi damnatus a iudice interrogatur: "En reus, quid sentis de poena, quam tibi imposuimus?" Num falso fecimus?" Ad haec reus respondit: "Recte iudicavistis." Etiam procurator publicus (1) reum interrogat: "Nonne id aequum est, quod de te statuimus? His verbis reus "Recte dicis", respondit, "profecto poenam **rectam** et aequam solvam." Tum iudex iterum: "Agnoscisne autem adversarium tuum in hoc lite iure meritoque impunitum mansurum esse?" - "Omnia, quae de eo statuistis, **recte** meritoque ei contingunt" reus respondit. Tum procurator publicus iam paululum moleste ferens: "Cur, - hercle! - omnibus quaestionibus nostris", inquit, "semper illo verbo stultissimo '**recte**' respondis? Nonne putas ita facere esse hominis debilis?" Ad haec reus "Recte dicis!" respondit.

De fure grato

Olim advocatus iuvenilis vagantem (2) in ius defenderat furti horologii maxime pretiosi accusatum. Cum eum eloquen-

Iulio Andreotti, absurdae ac vix credibilis accusato cum scelestis furciferis societatis

Quae sit mobilitas vulgi peiora sequentis,
nunc animadvertis maestitia subita;
at tibi portus erit praesto placidis ubi possis
dilectis tandem dedere te studiis.

Benedicto Craxi, de summo potestatis dignitatisque fastigio ad infimam rei condicionem deiecto

Aura benigna tibi quondam donavit honores
undique flans tenero momine largifico;
nunc solus, taciturnus amaritiem patieris:
contigit id summis dedecus innumeris.

Achilli Occhetto, alicui semper cedere factioni sueto, ad suffragiorum autem principatum adipiscendum inepto

Quod tibi fata diu vetuere inimica tuisque,
donabunt aliis barbariore nota:
falx nec malleolus scutum frangent cruce pictum:
currus (1) adest in quem difficile insilias.

- 1) Agitur de curru (Italice: carroccio), quem Lombarda, quae dicitur, consociatio (Italice: Lega Lombarda) pro signo ac symbolo suo delegit, ut communistae quondam falcem malleolumque ac christiani populares (Italice: Democrazia Cristiana) scutum cruce pictum.

Orestes Carbonero

tissime animoque flagranti defendisset, accusatus ab omni culpa liberatus et ab omni poena absolutus est. Qui ob eam rem laetissimus multas lacrimas fundens advocato "Pecuniam", inquit, "nullam habeo, quam tibi pro defensione tua excellentissima solvere possem; sed ecce horologium, de qua erat causa! velim accipias, qua tibi pro pecunia gratias maximas agam."

De autoraedario prudenti

Olim custos publicus (3) autoraedarium quadrivium supervectum, cum semaphorum (4) ilico erectum lumen rubrum monstravisset, impedivit, quominus porro veheretur et interrogavit: "Nonne animadvertisti lumen rubricoloratum splendere?" - "Certe animadverti!" respondit autoraedarius. Tum custos publicus: "Cur - hercle! - tamen quadrivium supervectus es?" Quibus verbis autem autoraedarius respondit: "Quia etiam te animadverti!"

De utilitate, quam telephonum profert

Olim pater alicuius amicorum meorum telephonice negotium appellavit, ut certior faceretur, utrum mercedes a se nuper ordinatae, sed nondum sibi missae adhuc venirent necne. Venditores autem in illo negotio laborantes erant noti, quod clientes suos telephonice vocantes saepe ad filum morabantur, saepius vero plane respondere oblivisci solebant. Pater cum hoc iterum sibi contingeret, moleste ferens autoraedam suam conscendit, spatium XIII kilometrorum ad negotium adipiscendum pervectus est, negotium intravit, digito lucernulam telephoni rubram coruscantem demonstravit et venditori voce alta furiosa "Scisne", inquit, "me esse illum clientem, qui in altero fine istius filii telephonicum patienter sedens semper responsum tuum expectat?"

Definitiones lepide factae

Quis est iuvenis caelebs?

Iuvenis caelebs est vir, qui domum redire non debet, dum cena cum amicis habita iucundissima fit.

Quid est gemitus?

Gemitus est amplificator sonitum hominum silenter patientium.

Quid est pars multesima secundae?

Pars multesima secundae est breve spatium temporis situm inter illud momentum, quo tabulam stratae autocineticae exitum indicantem conspicis et inter momentum, quo animadvertis te istum exitum iam praetervectum esse.

- | | | |
|---|---------------------|--|
| 1 | procurator publicus | Staatsanwalt/ procureur général/ procurator generale/ fiscal/ prosecutor |
| 2 | vagans,-antis | Landstreicher/ vagabond/vagabondo/ vagabundo/ bum |
| 3 | custos publicus | Polizist/ policier/ vigile/ policía/ policeman |
| 4 | semaphorum | Ampel/ feux/ semaforo/ semáforo/ traffic lights |

Udalricus Aeschlimann




DE NILO FLUMINE

Et Seneca, ille philosophus et scriptor Romanus, et Fénelon, scriptor Francogallicus haud ignotus, Nilum flumen laudant. A Seneca Nilus spes unica Aegypti creditur. Nam solo arenoso et sitiendi aquam inducit. Fluvius, cum turbulentus sit, in locis siccis faecem relinquit agrosque iuvat, quod oblimat et inundat. Nilus limo loca arenosa saturat et saginat. Aegyptus Nilo et fertilitatem soli et terras debet. Terrae Aegypti pulchrae sunt, cum fluvius aquas in agros ingerit. Oppida insularum modo exstant. In urbibus mediterraneis nullum est commercium nisi auxilio navigiorum.


Fénelon modo poetico Nilum laudat. Apud scriptorem hunc Nilus ipse sermonem habet. Dicit se Aegyptum iucundam et potentem facere, se campos non vastare, sed fecunditate donare. Dicit quoque terras Aegypti aspectum hortorum magnificorum praebere et ripas oppidorum plenas esse. Flumen glorians nos certiores facit se septem oribus aquas ad regnum Neptuni dei ferre.

Barbara Maier



Nuntii miri e scientiis

DE ANIMALI IN VIETNAMIA NUPER DETECTO



Vu-Quang-Oryx-antilope

Mense Maio anni 1992° in reservato nomine 'Vu-Quang' prope fines Laosii (Laos) sito nonnulli scientifici organisationis Anglice 'World Wildlife Fund' (WWF) nominatae in regione exploranda reliquias animalis adhuc ignoti invenerant. Vivo exemplari quidem tum non occurrerant. Scientifici illud animal provisorie ex regione originis eius nominaverant: 'Vu-Quang-Oryx-antilope'. Coniecerant novum genus familiae bovidae inventum esse.

Ille quadrupes neque bos neque ovis neque capra est, sed aliquod genus interiacens inter bovem et antilopam. Cornibus longis armatus et partibus quibusdam capitis albus negrusque est.

Nunc biologi scientifici Britannici et Australiani novum genus mammalium inventum esse confirmaverunt. Quae inventa rarissime eveniunt. Hoc nostro saeculo quinque solum genera nova grandiorum mammalium detecta sunt.

Homines illius regionis pluries centum illarum caprarum montanarum, quas indigenae carnis earum causa venarentur, commemorant.

Illud animal foliis fici, herbis fruticibusque nutriri organisatio 'WWF' refert.

Daniel Weissmann



ETIAM URSI BELLUM FUGIUNT...

Ursi quoque illud atrocissimum horribilissimumque bellum in pristina Jugoslavia saeviens fugere videntur. Mense Maio huius anni in regionibus orientalibus Austriae ursi apparuerunt, qui, ut zoologiae periti docti opinantur, regionem bellicosam Bosniae reliquerunt.

Olim in tota fere Europa ursi vixerunt. Sed in Austria hoc saeculo tantum in Carinthia (Kärnten) prope fines Sloveniae ursi apparuerunt.

Itaque in vico Austriaco Superiore, Ecclesiaevico (Kirchdorf), ad Cremisam (Krems) fluvium sito hoc saeculo ursi adhuc non exstiterunt.

Cum homines vere huius anni in tabernis Austriae Superioris de ursis, qui in hac regione vagarentur, loqui coeperunt, primum omnes putabant eas fabulas a venatoribus fictas esse. Sed observationibus diligenter factis et vestigiis inventis factum certum erat: Circum hunc vicum magnus ursus adultus vixit - et non male: Iam plures oves cenam sibi paravit, nonnullos anseres devoravit, multa alvearia peritissime effregit. Imprimis dolia olei brassicae napi (1), quo fabri saltuarii oleo Diseliano biologico utebantur, in prato parvo silva circumdato deposita urso placuisse visa sunt: Nonnulla eorum 20 litras continentium magna sollertia aperuit et usque ad ultimam guttam ebibit.

Indicia et vestigia crebrescunt etiam in alias regiones orientales et meridianas Austriae ursos immigrare. Ursi, qui temporibus anterioribus nonnumquam in Carinthia (Kärnten) apparuerunt, semper e Jugoslavia venerant et plerumque revertebantur, unde venissent. Nunc autem, ut biologi universitatis Vindobonensis explicant, bellum in Bosnia, ubi adhuc multi ursi vivunt, causa migrationis eorum est. Ursi strepitum ab hominibus effectum fugere solent. Itaque tonitru fragoreque machinarum ignivomarum artilleriae longe lateque fugati sunt. Cum in Croatia et Slovenia coloniis ursorum indigenarum ibi viventium occurrerunt, longius migrare coacti in Austriam pervenerunt.

1 oleum brassicae napi Rapsöl/ huile de colza/ olio di colza/ aceite de colza/ rape oil

Daniel Weissmann



Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA **KALENDIS FEBRVARIIS EST!** SOLVTIONES IN UNO LIBELLORUM PROXIMORUM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium
 secundum et tertium praemium

LIBER
LIBELLVS

1	2	3	4	5	6	7
2						
3						
4						
5						
6						
7						

- gens Romana, nostra aetate etiam nomen mulierum
- ad coniugem pertinens (Adi. acc. sg. m.)
- forma sphaerae vel orbis (Adi. nom. pl. m.)
- vi evasas vel emersas
- cymbae vel scaphae
- Hebraei
- abictis

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertiumque praemium accipient:

<u>primum praemium:</u>	<u>secundum praemium:</u>	<u>tertium praemium:</u>
Marcus Reber Bergstr. 10 4500 Solothurn	Hans B. Bärlocher Teufener Str. 116 9000 St. Gallen	Markus Keller Kornweg 11 5314 Kleindöttingen

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

¹ I	² S	³ A	⁴ B	⁵ E	⁶ L
² S	I	D	E	R	I
³ A	D	U	R	A	M
⁴ B	E	R	Y	T	O
⁵ E	R	A	T	U	S
⁶ L	I	M	O	S	I

¹ P	² I	³ S	⁴ A
² I	R	A	M
³ S	A	L	E
⁴ A	M	E	N

Ecce solutiones aenigmatis libelli 4/93!



Aenigma

Sultano cuidam hortus pulcherrimus est, quem intrare sine eius permissione severissime interdictum est. Qui illud interdictum neglegit, capite damnatur; solum modi supplicii eligendi facultas damnato datur: Nam ei licet - sultanus id ex affectione animi mira constituit - novissimum dictum edere. Si quid verum dixerit, caput ei praecidetur, si quid falsum dixerit, suspendetur.

Aliquando evenit, ut botanicus incautus maximo ardore orchideam rarissimam quaerens per errorem in illum hortum invadat. Capitur et ante sultanum ducitur.

Quid ei botanico dicendum est de modo moriendi, ut supplicium effugiat?

Daniel Weissmann

Solutio aenigmatis in proximo libello monstrabitur!



DE ROMANORUM VEHICULIS

Veteres Romani magna varietate vehiculorum utebantur. In urbe Roma aut sellis gestatoriis aut lecticis per vias foraque ferebantur. Sella gestatoria a baiiulis ferebatur. Lectica erat quaedam arca magna ligno facta quattuor pedibus temonibusque ornata. Lecticae pars superior quattuor columellis velis coniunctis ornabatur. Viator in pulvinaribus commode cubans vela voluntate sua et aperire aut claudere poterat. Lecticarii servi robusti numero duo, quattuor, octo erant. Lecticae hominibus divitibus modo erant. Lecticarii publici autem lecticas locabant, erant sane praecursores taxiraedariorum nostrorum.

Viatores itinera longa facientes saepe equis vehebantur. Persaepius cisium adhibebant, id est vehiculum quoddam magna velocitate levissimoque pondere. Vehiculum nomine carpentum duabus rotis tectoque ornabatur. Raeda, quattuor rotis instructa, a viatoribus, qui iter magna cum sarcina faciebant, adhibebatur. Erat quoque quoddam vehiculum spatiosum, nomine carruca, in qua viator et legere et scribere et talis ludere poterat.

Merces plaustris ferebantur. Plaustrum erat vehiculum rusticum duabus rotis plenis ornatum. Vehicula, quae sarraca et clabula nominabantur, ad merces gravis ponderis vehendas adhiberi solebant. Bene scimus veteres Romanos soleas ferreas ad ungulas equorum tegendas ignoravisse. Itaque vehicula mercibus completa lente vehebantur. Singulis diebus equi spatium itineris chilometrorum triginta maximeque sexaginta decurrere poterant.

Barbara Maier



EPIGRAMMATA ATHLETICA

Carlo Lewis, Americano cursori eidemque saltatori provecto

Iam plures annos athletae fungeris amplo munere, tum currens, tum in spatium saliens; quid si nunc temptes certamina cetera? Palmas, sis, patiari aliquas aemula turma ferat!

Michaeli Indurain, Hispanico birotario praestantissimo

Italiae birota victor peragras regiones;
Gallia ter plausus obstupefacta dedit;
inveniant alios sane cursus peregrinos:
viribus excellens insuperabilibus.

Germanico manubriati reticuli principi, Boris Becker

Anglo qui totiens rediisti gramine clarus,
rivali quovis opposito potior;
diversorum homines generum quod protegis, istinc
maiores laudes percipies merito.

Michaeli Tysos, Americano pugili in vincula coniecto

Haud bene muneribus naturae uti didicisti,
nigrocolor Pollux (1) mole superbe tua:
sternere debebas pugnis istis pugilantes,
non in femineum stupra patrare genus!

1) cfr. Martialis VII, 57, 1-2:

"Castora de Polluce Gabinia fecit Achillan:

πὺξ ἀγαθός fuerat, nunc erit ἱππόδαμος ":

Quo in epigrammate bilingui Pollux antonomastice usurpatur pro pugilatore.

Orestes Carbonero



Facete lepideque dicta


De oblivione hominum seniorum

Olim maritus una cum uxore diem quinquagesimum nuptiarum suum celebrans in aliquo deversorio accumbebat. "Videsne, corculum", inquit, "amicum nostrum Paulum in mensa nostrae proxima sedentem?" Illum cordialiter salutavit; Paulus autem resalutavit et de die festivo amici ab ipso certior factus utrique congratulatus est. Ubi puer cauponius appropinquavit, ut cognosceret, quae edere bibereque vellent, maritus uxorem interrogavit: "Quid consumere vis, corculum?" Cui cum dixisset, "Bene optavisti, corculum, et ego idem mandabo" respondit. Puer cauponius omnia desiderata optataque schedulae inscripsit, abiit, paulo post omnibus

cibus potionibusque oneratus revenit. Quibus offertis cum edere coepissent, maritus uxorem "Nonne deversorium est elegantissimum et diei nostro festivo dignissimum, corculum? Nonne bonissimum quod edimus, corculum?" et post breve spatium "Num etiam aliud edere vis, corculum?" interrogavit. Cena autem finita ei dixit: "Nunc domum eamus, corculum!" Dum exitum deversorii peterent, uxor cellam curae corporis hospitem destinatam intravit, ut se aliquantum - ut feminae libentissime faciunt - reficeret. Dum illico maneret, amicus Paulus maritum appetivit et "Vidi et audivi", inquit, "te uxorem tuam semper, etiam post quinquaginta annos, maxime amare; sed cur - hercle! - eam semel, iterum et iterum nomine 'corculum' vocas? Ego vero, dum cenabatis, audiebam te eam non minus quam septies 'corculum' vocavisse!"

Ad quae maritus aegre molesteque ferens respondit: "Quid aliter faciam, care Paule mi? Iamdudum enim eius verae praenominis oblitus sum..."

Udalricus Aeschlimann



"Hanc formidinem ad elephantos fugandos posuimus."

ANNO MCMXX° PUER AB OPPIDO CURIA USQUE AD URBEM TURICUM FERRIVIA VEHITUR

Curiae pueritiam totam degi habitans apud parentes meos, ludum, in quo litterarum elementa discuntur, frequentavi, sicut dicere possim oppidum Curiam patriam esse meam. Cum autem novem annos natus essem, primum mihi licuit ferias aestivas apud amitam et consobrinam amatam Turici agere. Consobrina anno ante apud nos Curiae fuerat egoque amore eius captus eram eo modo, ut eam iterum videre vix exspectare possem. Saepenumero etiam de Turico, maxima urbe Helvetiae, narrare audiveram et magnopere laetabar me mox istam urbem visurum esse.

Tandem aliquando dies profectionis meae advenit. Mamma me ad stationem ferriviariam Curiensem comitata est. Cistulam meam in cisio parvo meo ad stationem traxi. Iam multis diebus ante omnes stationes ferriviarum, quae sunt ab oppido Curia usque ad urbem Turicum memoriae mandaveram. Mamma me exhortata est, ut in statione Turici-Angustiae (Zürich-Enge) descenderem, quia ibi amita mea me exspectaret. "Horribile esset", ait, "si non descenderes in statione Angustiis et vehereris usque ad stationem principalem. Tibi in statione comitator traminis (1) interrogandus esset, ubi esset area nomine 'Hegibach', et in hac area tibi iterum esset interrogandum, ubi esset Vicus Acutiatorum (Schleifergasse). At ne obliviscaris descendere Turici-Angustiis, ubi amita tua te exspectabit." - "Bono sis animo, mamma!" respondi, "non obliviscar descendere." Tum mamma me amplexa est et basia dedit, egoque mammae item basia dedi. Tum in currum ascendi, retrospectans autem vidi mammam loquentem breviter cum comitatore traminis (1). Sine dubium eum oravit, ut in statione Angustiis me adhortaretur, ut descenderem. Vidi etiam comitatorem traminis adnudentem, ut matri meae significaret se intellexisse et facturum, quod mamma oraret.

Aperui fenestram et mammam valere iussi nutans. Nutabam mammae tantisper eam iam non vidi. Tum ad dexteram partem currus ii et consedi ad fenestram, ut regionem prospicerem, sed usque ad stationem Sargantiam (Sargans) nihil mihi erat novi. Postea autem, cum lacui Rivario (Walensee) appropin-

quaremus, regio differebat ab illa regione Curiensi, mihi satis nota. Prima res nova mihi erat lacus, cum numquam antea lacum tam magnum vidissem. Secunda res, quae inopinanti mihi accidit, erant rupes praeruptae, quae usque ad caelum scandere videbantur. Lacus satis longus erat, sed saepe eum non vidi, quia identidem per cuniculos fornicatos (2) veheremur. Praeterea lacus mihi displicuit, quod desertus erat ne singula cumbula quidem visa. Vir quidam prope me sedens mihi explanavit nomen montium aliorum esse nostro sermone 'Kurfirsten'. Huic viro indigenae gratias egi pro explanatione et tacite mecum putabam illos montes fortasse non altiores esse quam montes circum Curiam surgentes, at aspectu satis diverso.

Tandem advenimus ad stationem nomine 'Wesen' et ad finem lacus, iamque mihi poteram fingere regionem montibus fere carentem, cum regio Turicensis appropinquaret. Et re vera: Vix a statione 'Wesen' eramus avecti, cum regio multo amplior, vastior liberiorque est facta. Attamen plures vici stationesque, ut Pons Tegularum (Ziegelbrücke), 'Bilten', 'Siebnen-Wangen', erant ante nos, priusquam advenimus ad lacum Turicensem superiorem. Tandem comitatorem traminis (1) extra audivi clamantem: "Lachen!" 'Lachen' sermone Theodisco significat 'ridere', et vir prope me sedens re vera risit, et cum eum spectarem mirans, cur risisset, dixit: "An non licet ridere, cum advenimus ad vicum 'Lachen'?" Ego autem illi respondi: "'Lachen' est nomen nostri sermonis, tu autem, optime vir, risisti Latine." Et ille: "Non intellego, mi puer, quid dicere velis; sed nihil ad rem."

Ego autem nihil ultra cum illo viro colloquens sciebam nomen 'Lachen' originis Latinae esse significans 'lacus', sed Germanico vel Helvetico more pronuntiandi litteram 'c' in litteram 'ch' esse mutatam.

Interea sol iterum inter nubes aestivas apparuit et lacum tandem Turicensem vidi luce splendentem. Nunc etiam vidi molem, qua a vico 'Pfäffikon' usque ad oppidum 'Rapperswil' lacus transiri potest. Qua mole lacus Turicensis superior a lacu Turicensi inferiore separatur. In altera, id est in dextera parte lacus procul potest cerni magnum castellum oppidi.

Lacus Turicensis multo frequentior erat quam lacus Rivarius

(Walensee). Vidi plures cumbas veliferas et procul etiam navem magnam vapore actam. Quanto clarior, quanto amabilior est mihi lacus Turicensis quam lacus Rivarius!

Neque tam multo post advenimus ad stationem nomine 'Thalwil', neque ignorabam paucis minutis post nos ad stationem Turicum-Angustias (Zürich-Enge) adventuros esse. Procul iam vidi aliquid, quod mihi visum est praesentare ecclesiarum turres. Tremebam laetitia et cupiditate tandem videndi Turicum. Curiositate impulsus continuo per fenestram spectabam, dum cuniculo fornicato (2) immergeremur. Vix autem e cuniculo fornicato emergeramus, constitimus in statione Turico-Angustiis. Cistulam meam prehendi et e curru descendi comitatorem traminis (1) me foras comitante. Iamque vidimus amitam meam laeto vultu me expectantem. Amita comitatori traminis gratias egit, et paucis verbis commutatis inter eum et amitam, ille currum iterum ascendit, dum amita me amplectitur et ego amitam amplector. Tum amita me interrogavit, utrum Curiae et familia nostra omnia bene evenirent, et cum affirmavissem, amita explanavit nos statione exituros forisque curru electrico (3) domum vecturos. Domi quidem nos solos futuros esse usque ad septimam horam, cum sobrini et sobrina mea et avunculus meus non prius possent ab labore eorum domum venire.

Tum curru electrico domum vecti sumus, primo per Viam Stationalem usque ad lacum et ad locum publicum nomine 'Bellevue'. Ibi nobis transeundum erat in alium currum electricum, quo viginti minutis post ad aream nomine 'Hegibachplatz' advenimus, unde ad domum nostram pedibus eundum erat quinque minutas.

- | | |
|------------------------|---|
| 1 comitator traminis | Schaffner/ conducteur/ guard/ revisor/ conduttore |
| 2 cuniculus fornicatus | Tunnel/ tunnel/ tunnel/túnel/ tunnello |
| 3 currus electricus | Strassenbahn/ tram(way)/ tranvía/ tranvia |

Emanuel Bernard

DE FERIIS IN OPPIDO MACLOVIOPOLI, QUOD EST SITUM AD ORAM OCEANI BRITANNICI, ACTIS

Prima aestate huius anni iterum in oppido Macloviopoli (Saint-Malo), quod in provincia Galliae nomine Aremorica (Bretagne) ad ripam maris vel rectius ad ripam Oceani Britannici situm est, ferias aestivas egimus, ego cum Agnete, uxore mea. Caelum saepe opertum erat nubibus pluentibus, sed cum sol luceret, in mari vicino natavimus vel in ora harenosa pilo lusimus cum amicis vel in harena iacentes radiis solis urebamus, catulum nostrum semper nobiscum habentes.

Post meridiem autem Agnes saepe per strata oppidi ambulans merces in tabernis expositas spectare malebat egoque eam comitari coactus usque ad multum diei vitam vivam intra muros videbam. 'Intra muros' saepe audiebamus, quia incolae oppidi distincte dicere solebant se *intra* neque *extra* muros habitare. Cuius distinctionis gravitatem adhuc non intellego: Fortasse ad vectigalium solutionem spectat.

Cum amici nostri etiam, Theodorus eiusque coniunx Ursula, ferias nobiscum agerent, per occasionem in paeninsulam 'Aletem' iter fecimus, cum ille locus Theodoro valde placeret, catulo nostro semper nos comitante. Species catuli nostri fuit 'canis taurinus Francogallicus', quae nostro sermone 'Französische Bulldogge' vocatur, animal parvus, bonus, sensibilis intellegensque. In oppido Macloviopoli (Saint-Malo) a fele quadam eius oculus alter vulneratus erat. Itaque catulum ad medicum veterinarium duximus, ubi operationem oculi subiit. Consopitus neque experrectus est. Ad horam postmeridianam quartam ad veterinarium iimus catulum abducturi, sed erat mortuus. Sequentibus diebus pertristes eramus non potentes intellegere catulum nostrum esse mortuum neque iam nobiscum.

Habitavimus in deversorio, quod nomen habet 'Les chiens de guet', quod sermone Latino dicendum est 'Canes vigilantes'. Attigit partem murorum urbem circumcludentium, ita ut prope deversorium porta esset, per quam decem passibus ad maris oram exire possemus. Itaque ientaculo habito deversorio exeuntes et decem passus per portam muri euntes iam in harena litoris eramus, ubi vel in mare natavimus vel cum

aliis ferias agentibus pilo lusimus. Aliquando aestu minuate transire poteramus in insulam altam, quae pedibus adiri non potest, cum aestus ex alto se incitat. Qua insula in honorem poetae nominatur 'Insula Chateaubriand'. Ab alta illa insula prospectum habui in mare altum, ubi procul et minus clarae aliae insulae apparuerunt, quae sitae sunt inter Galliam et Britanniam, at multo viciniore terrae Gallorum. Quarum una appellatur 'Cézembre'. Eo vecti sumus navicula vi electrica mota, Theodorus noster cum eius uxore Ursula egoque cum Agnete. Illic autem cum nihil reperire possemus videndo dignum, ad merendam assedimus unam horam ibi morati.

Aliquando multo vespere in foro oppidi dies festus actus est, ubi iuvenes exterarum etiam nationum, Germanorum, Helvetiorum, Italianorum, Britannorum cantus undique notos canebant magna cum hilaritate et vinum haustum est usque ad mediam noctem.

In altis moenibus circum oppidum ambulari potest nosque Iove sereno saepe illa via alta circum oppidum ambulare gavisi sumus, hic et illic prospectum habentes per fenestras in habitationes, quae essent aquae vel inferiores moenibus, in quibus hospites ambulant.

Emanuel Bernard



De Bello inter Civitates Gesto Americano

(Relationis pars quarta)

Annus 1863^{us}: Sors dira decernit

In undecim civitatibus confoederatis anno 1863^o ineunte vita iam durissima facta est. Viri omnes fere milites facti longe a domo et patria absentes labores necessarios mulie-

ribus relinquere debebant. Saepta navalia cottidie fere severiora impediabant, ne linus xylinus exportaretur neve omnia ad vitam necessaria importarentur. Milites cani saepe vestimenta perforata habebant neque calceamenta. Attamen heroibus similes contra copias Yancorum optime munitas pugnabant.

Tum Abraham Lincoln septentrionalium praeses novum consilium confoederationis devincendae iniit: Statuit, ut omnes servi intra fines undecim civitatum rebellium habitantes inde a Kalendis Ianuariis anni 1863¹ in aeternum essent liberi. Quod consilium non humanitatis causa excogitaverat, sed ne Anglia Francogalliaque confoederationem agnoscerent. Ex hoc tempore fabula creata est Yancos pro servis liberandis pugnare, quamvis re vera pro unione integra, i.e. pro commodis ipsorum pugnarent.

Meridiani autem edicto Abrahae Lincoln praesidis vix audito maiore industria dimicare continuebant, cum, etsi eorum non omnes servitutem laudarent, tamen bene scirent istam institutionem specialem non subito, sed gradatim et paulatim et pedetemptim esse abolendam.

Mense autem Maio anno 1863^o novum Lincoln exercitum in Virginiam misit, cuius praefectus summus non iam Burnside generalis erat, sed generalis quidem nomine Pope (Latine: Papa!), qui gloriari solebat se semper in ephippio esse. Cum plus centenis milibus militum Virginienses penetravit fines, dum Lee sexagena tantum milia virorum habet. Inter quos etiam erant equitum circiter milia duo J.E.B. Stuart duce. Qui a generali summo Lee emissi sunt, ut sedes hostium explorarent et, quantum fieri posset, eorum agmina novissima delerent. Per quinque dies Stuart virique eius circum omnes hostium copias vecti sunt, sedes exploraverunt, multa Yancis necessaria deleverunt, multos milites caeruleos captivaverunt nec non castra ipsius generalis Pope aggressi sunt et vastaverunt ita, ut Popem nisi forte quadam absens fuisset, ipse captivatus esset. Stuart, qui iam uno anno ante simili modo exercitum Mc Clellan generalis circumvectus erat, summus equitum dux non modo Belli inter Civitates Gesti Americani, sed totius orbis terrarum habendus est.

Attamen carulei numero multo plures et armis melioribus armati meridianos in regione quadam vastissima, cui nomen

Anglicum est Wilderness (Latine: Loca Deserta), non procul a vico Cancellarivillari (Chancellorsville) circumdederunt et spe victoriae carpendae incitati gaudio imbuti erant magno. Lee autem suos, qui essent indigenae, eam regionem melius novisse quam Yancos sciens una cum Thoma Jackson consilium cepit non modo exercitum suum servare, sed etiam Yancos iterum fugare. Quae ut fierent, copias suas dividit in partes duas, quarum altera pars Yancorum impetui resisteret, altera autem noctu clam in septentrionalium tergum irrueret et hostes a tergo aggredereetur. Sic factum est. Invasores carulei audaces priusquam scirent, quid ageretur, iam a duabus partibus telis igniferis obruti sunt et fuga salutem petiverunt. Lee iterum se ingenium bellicum praestiterat.

Sede quamvis confoederati pugna quoque Cancellarivillarensi victores abirent, tamen lugendi potius causam habebant quam exultandi, quia Thomas 'Murus Lapideus' Jackson per errorem quendam horribilem ab ipsius viris graviter vulneratus et postea istis vulneribus mortuus est. Qui enim generalem noctu a parte hostili in se equitantem hostem habuerant et, ut eis imperatum erat, sine ullo verbo dicto sclopetaverant. Jackson autem tota in meridie ab omnibus incolis maerebatur.

Yancis iterum e Virginia fugatis Lee denuo consilium cepit in septentrionem invadere et urbes magnas septentrionales aggredi. Qua de causa mense Iunio copiis suis tres in partes divisit Potomacum fluvium transiit et in fines Pennsilvanicas irruit, quae terra aliter ac Mariae Terra plane et omnino 'yanciphila', ut ita dicam, erat. Pennsilvaniae incolae ergo confoederatos non gaudii pleni salutarunt. Attamen Lee generalem, virum nobilem, mitem, iustum, humanum nec non fortiter in Deum credentem multi admirati sunt. Virgo quaedam per fenestram Robertum Eduardum Lee praetervehentem intuens "Heus!" exclamavit. "Vellem ille in nostra parte esset!"

Kalendis autem Quinctilibus (sive Iuliis) eodem anno 1863^o exercitus meridianus oppidulo appropinquavit, cui nomen Gettisburgum (Gettysburg), condito olim ab immigrantibus Germanis. Copiae septentrionales Gordon Meade duce - Pope ille apud Cancellarivillare devictus interea sublatus erat - celerrimis itineribus 'rebelles' insecuti sunt et eodem

die Gettisburgum advenerunt. Primo autem confoederatorum impetu per oppidum et ex oppido fugati sunt et se receperunt in collem quendam coemeterii vocatum. Meridiani si statim collem etiam ascendissent, certe hostes iam de victoria desperantes et sine ordine et armis abiectis fugientes plane devicissent. Ewell autem generalis, qui primo agmini meridiano erat praepositus pro 'Muro Lapideo' Jackson suos nimis defatigatos esse ratus milites subsistere iussit. Yanci interea per totam noctem summo in colle munimenta non frangibilia struxerunt. Tali modo per errorem vix excusabilem meridianis victoria elapsa est. Jackson si adhuc vixisset, talem errorem non commisisset. Sed - pro dolor maxime lamentabilis - iam quiete aeterna fruebatur! Diebus proximis duobus Lee tamen collem capere et hostes fugare conatus est. Denique die 3^o mensis Quinctilis hora prima postmeridiana omnibus cannonibus Yancos telis igniferis obrui iussit ita, ut cannonibus septentrionalibus deletis impetum in collem fieri posset. Quod inceptum autem non successu est coronatum: Yancorum cannones deleri nequibant, et viri, qui postea impetum fecerunt, omnes fere occisi sunt, priusquam summum collem tangerent. Lee generali nil aliud restitit nisi receptus in patriam Virginiensem.

Inde ab hoc temporis momento copiae confoederatae numquam iam fines hostium invaserunt. Nimii milites perierant, qui substitui non poterant. Praeterea eodem die 3^o mensis Quinctilis Ulixes S. Grant generalis Viciburgum (Vicksburg), oppidum ad Mississippii fluvii ripas situm et per tres fere menses frustra oppugnatum expugnavit. Sic confoederatio nunc divisa erat in partes duas: Mississippius autem, quem Indiani indigenae 'patrem fluviorum' appellabant, totus in Yancorum manibus erat.

Meade, qui ipse vix arma habebat ad meridianos insequendos, eo anno non iam in Virginiam irrupit. Constat eum quapropter ab Abrahama Lincoln valde vituperatum esse et, ut mos erat, sublatum et ab Ulixo Grant esse substitutum.

Annus 1864^{us}: De confoederationis interitu

Grant tandem Abrahae Lincoln desiderium maximum adimplens Roberti Lee exercitum persequebatur et viribus maximis

ingentissimisque in Virginiam irrupit. Confoederati quidem optime pugnantes impetus sempiternos arcere et se quam optime defendere poterant: Victores abierunt e proeliis in Locis Desertis - eodem enim loco, quo iam anno ante Pope generalem terribilissime devicerant - apud Spotsilvaniam apudque Portum Frigidum (Cold Harbor) gestis, sed Grant, aliter ac generales, qui ante eum exercitum caeruleum duxerant, cladibus acceptis non receptui cani iussit, sed iterum progressus est, quia viros, qui occiderunt, facillime substituere poterat militibus novis, dum Lee non habet, quos pro mortuis in pugnam mittat. Vere tandem exeunte confoederati inclusi sunt in oppido, cui nomen Petriburgum (Petersburg), non longe distante a confoederationis capite Ricmondia. Hic autem Grant per multos menses haerebat, quod milites cani fortissime impetibus omnibus resistebant. Eodem anno alius septentrionis generalis in occidente confoederationis parte semper semperque progressus est: Guilelmus Tecumsius (William Tecumseh) Sherman, vir ferox, crudelis barbarus, omne ius divinum et humanum deridens, qui neque unionis servandae neque servos liberandi causa pugnabat, sed quod homines meridianos ima anima oderat. Per aliquot annos in Luisiana vixerat, sed tunc in septentrionem reverterat, quod mores et modum vivendi meridianos spernebat.

Homullus iste nunc anno 1864^o una cum centenis milibus militum sibi haud dissimilium a Tennesia in Georgiam iter terribile fecit. Iosephus (Joe) quidem Johnston generalis meridianus impedire conabatur, ne Sherman fines Georgienses invaderet, sed inceptum eius ad irritum redactum est, quod Sherman multo plures viros habebat quam Johnston. Nihil quoque valebat fortitudo et audacia Nathanis Bedfordii Forrest generalis equitum meridiani, qui paucis cum viris suis semper semperque exercitum caeruleum giganteum aggrediebatur et agmina novissima privabat. Forrest, etsi miles fortissimus et ingenio strategico excellentissimo praeditus, aliis moribus erat ac Lee ceterique generales confoederati: Servorum emptor et venditor, qui erat, explicite pro servitute conservanda pugnabat hominesque Afros contemnebat. Cum Castra Pilloensia (Fort Pillow) apud Mississippium fluvium sita expugnavisset, omnes milites nigros sine misericordia interfici iussit: Hoc unum et unicum crimen

bellicum meridianum totius Belli inter Civitates Gesti erat!

Sherman contra cottidie fere crimina committebat foedissima. Nam cum Atlantem, Georgiae caput, expugnasset, incolas urbem relinquere et urbem ipsam comburi iussit non necessitatibus militaribus coactus, sed solo odio meridianorum incitatus. Postquam istud crimen inhumanissimum perfecit, totam per Georgiam itinere horroris vectus est: Quocumque milites caerulei se vertebant, omnia ad vitam necessaria vel spoliabant vel, si secum ducere non poterant, debebant. Bestiae domesticae mactabantur, villae accendebantur, frumenta linumque xylinum flammis tradebantur, ut incolis nihil remaneret, quo vescerentur. Georgia, quae antea confoederationis 'horreum frumenti' fuerat, mutata est in regionem vastam et fami deditam. Misericordiam milites isti ignorabant, nam complures eorum homines scelesti erant, qui ante bellum carceribus insederant modoque liberati erant ad bellum gerendum. Quos Sherman imprimis diligebat, quia ipse animo scelesto erat. A Jefferson Davis, meridianorum praeside, Sherman Attila Americanus est vocatus, at profecto Attila illo Hunnorum rege crudelius pugnabat, cum ille a Leone papa primo admonitus, ne ulterius procederet, Romae pepercisset, iste neque lacrimis mulierum neque fletu infantium impeditus est, quominus acrem se gereret in innocentes.

Anno 1864^o ad finem vergente Sherman barbarique eius iuxta Savannam oram maritimam Georgiensem attigit. Nunc se in septentrionem vertit inque Carolinam Meridianam, quam terribilius quam Georgiam destrui iussit, quod illam civitatem secessionis originem esse affirmavit.

Interea Lee cum militibus suis Petriburgi inclusis exercitui Ulixii Grant immenso resistere non desierant. Per totum annum 1864^{um} milites caerulei nihil fere efficere poterunt. Grant, qui saepe erat inebriatus, viros suos semper semperque ad impetus faciendos incitavit, at quotienscumque in munimenta confoederata irruerunt, a canis reiecti sunt. Attamen res in summo discrimine erat, quod meridiani vix iam habebant, quo nutrirentur. Lee bene sciebat condicionem militum suorum esse intolerabilem atque rem confoederatam iam periisse. Tamen miraculum fore semper et fortiter sperabat.

Tale miraculum die quodam paene evenit: Jubal enim Early, generalis meridianus, per vallem Senandoae prorumpens equites Yancorum obstupescit et iter Vasintoniam facere conatus est, quae tunc temporis vix praesidio militari ullo muniebatur. Ultimo autem temporis momento Grant periculum, quod urbi capitali imminerebat, animadvertit et copias magnas Petriburgo Vasintoniam misit, quae Early suosque vincerent et a capite Yancorum arcerent. Early autem de adventu exercitus caerulei certior factus subito se in vallem Senandoae recepit, quod dimicare cum hoste ter vel quater fortiore insaniam esse cognoverat.

Grant autem alterum periculum e valle Senandoae timens Philippum (Phil) Sheridan magistrum equitum eodem misit, qui 'rebellibus', quaecumque eis usui essent, raptaret vel deleret. Quapropter Sheridan similiter ac Sherman in Georgia saeviebat: Senandoae vallis, regio illa Virginiensis fecundissima, pane vastata est. Sheridan gloriatus esse dicitur se tantopere saevivisse, ut immo corvus per illam vallem volans cogeretur ad viaticum secum gerendum. Talia erant verba et facta virorum, qui se pro libertate et humanitate pugnare affirmabant. Reminiscamur verborum Roberti Eduardi Lee generalis, quae dixerat militibus suis mense Iunio anno 1863^o in Pennsilvaniam invadentibus: "Milites! Hostis terram invasuri sumus! Mementote semper nos esse homines Christianos et humanos. Parcite incolarum vitis et bonis et omnibus, quae eis cara sunt. Si hostes nostri bellum gerunt contra mulieres, infantes, aedificia nutrimentave, eorum res est. Nos autem numquam pariter bellabimus: Contra arma et milites pugnamus, non contra homines inermes."

Annus 1865^{us}: Nox super Dixiam

Sherman, 'Attila ille Americanus', vix impeditus per Carolinam Meridianam Carolinamque Septentrionalem in septentrionem profectus est, ut se in Virginia cum Grant generali congregaret et una cum eo copias Roberti Lee interea minimas factas plane devinceret. Hoc autem necessarium non iam erat: Lee iam mense Aprili ineunte anno 1865^o et Petriburgo et Ricmondia relictis se in occidentem vertit, ut, quantum fieri posset, una cum Iosepho Johnston, cuius

copiae reliquae in Carolina Septentrionali erant, Yancis resisteret. Iuxta autem viculum parvum Virginiensem, cui nomen Appomatox, a Yancis circumdatus est. Magno clamore milites cani vestitibus dissecatis induti et fame paene pereuntes caeruleos aggressi sunt simili ardore ac bello ineunte, sed mox superati sunt. Die 9^o mensis Aprilis anno 1865^o Robertus Lee Ulixem Grant adiit, ut de bello conficiendo disputaret. "Mille mortibus mori quam me Ulixi Grant dedere malo" Lee dixisse fertur. Grant autem Lee honoribus exquisitis salutavit ita, ut milites caerulei circumstantes interrogarent: "Quis se cui dedit?"

Tres dies post milites confoederati arma et vexilla ante victorum pedes deposuerunt lacrimas fundentes haud paucas: Per quattuor annos Robertum Lee secuti erant hominem, quem patrem venerabantur, defendentes, quae eis carissima erant, libertatem et patriam meridianam. Hostes caerulei non triumphaverunt: Silentio capti asteterunt, donec Chamberlain generalis imperaret: "Sclopeta efferte!" Et factum est, quod nemo fieri posse crediderat: Yancorum milites sclopeta in honorem eorum extulerunt, quos antea semper 'rebelles' vocaverant.

Sic bellum inter Civitates Gestum Americanum finitum est. In nonnullis quidem partibus usque ad mensem Maium pugnari continuatum est, sed clades meridianorum impediri non iam poterat. Civitates meridianae plane erant dirutae, deletae, vastatae. 260'000 virorum meridianorum bello occisi erant, Yancorum circiter 300'000, plerique utriusque partis non telis hostilibus, sed morbis vel vulneribus, quae, ut iam supra diximus, tunc temporis sanari vix poterant. Oppida meridiana vix aliam speciem praebuerunt ac Germaniae urbes Bello Mundano Secundo confecto. Imprimis Georgia, Carolina Meridiana Virginiaque humi iacebant prostratae a victoribus tam superbis quam crudelibus. Homines esuriebant, iustitia absente ius validioris praevalebat. Milites, qui superebant, armis vexillisque depositis domum reverterunt, sed saepissime domum non iam habebant.

His diebus tristissimis homines meridiani praeter Deum omnipotentem unum tantum habuerunt amicum: Abraham Lincoln! Qui tandem mala conscientia pressus et criminibus a generalibus suis commissis perterritus vehementer poposcit, ut civitates meridianae iterum in unionem exciperentur, ut

duces militesque confoederati cives Americani ordinarii tractarentur, ne ulla ultio fieret in homines bello iam exhaustos. Haec autem consilia bona minime placuerunt eis, qui bellum moverant propter divitias suas augendas. Abolitionistae, faenatores, industriales septentrionales populum verbis alacribus contra praesidem 'nimis mitem' concitaverunt: "Deprimantur rebelles! Nulla misericordia erga servicultores! Num frustra occisi sunt milites nostri?"

Die 15^o mensis Aprilis anno 1865^o Lincoln una cum uxore theatrum spectatum iit. Tunc ex improvise vir quidam nomine Booth praesidi appropinquavit et pistolio in eum sclopeta vit. Nefarius iste se pro confoederatione pugnare affirmavit clamans "Sic semper tyrannis!" (haec verba re vera Latine protulit!), sed Abrahae Lincoln mors non meridiei usui erat, sed viris politicis septentrionalibus tantum, qui meridiem suppressere volebant. Qua de causa hodie sunt, qui suspicentur Booth a faenatoribus ditissimis septentrionalibus magna pecuniae summa corruptum esse. Mirum saltem est, quod Booth, cum a militibus circumdaretur et se dedere vellet, subito necatus est. Quale mysterium secum in sepulcrum duxit?

Novus quidem praeses, Andreas (Andrew) Johnson Tennesianus, sed nihilominus partem Yancorum secutus, ut similia consilia habebat ac Lincoln, ita senatoribus persuadere non poterat. Qui homines meridianos punire volebant - quam si illi nondum satis puniti essent!

Primum eis in animo erat officarios meridianos omnes quasi scelestos bellicos condemnare. (Sherman scilicet Sheridanque honoribus obruti sunt). Quod inceptum autem iniustissimum prohiberi potuit, quod Ulixes Grant ipse officarios confoederatos tutabatur. Attamen unus confoederationis officarius capitis damnatus est: Henricus (Henry) Wirz, Turico oriundus Helvetius, qui castris captivorum Andersonivillarensibus praefuerat. Andersonivillari (Andersonville) in Georgia castra erant horribilissima: Inde ab anno 1864^o ineunte circiter quadraginta milia militum septentrionalium ibi captivi vitam miserrimam degebant, vix habebant, quo vescerentur, aqua eis e rivo polluto atque cloaca simili potanda erat, domos non habebant ita, ut aestate sole fere torrerentur, hieme autem frigerent. At: Haec omnia Wirz ille non ultro nec crudelitate incensus commi-

sit, sed condicionibus malis coactus. Meridiani ipsi non satis ciborum habebant, quod saepa navalia septentrionalia impediabant, ne quid importaretur. Captivi antea commutari solebant, Grant autem, ut bellum celerius finiretur, ab anno 1864° commutationem captivorum vetuit. Sherman denique anno 1864° non longe ab Andersonivillari afuit, sed ne conatus est quidem liberare commilitones suos. Maluit enim villas rusticas accendere vel mulieres violare.

Wirz quidem et defensor eius, vir iuris consultus integer, fortis, ingeniosus iudicibus haec omnia frustra explicaverunt. Henricus Wirz capitis damnatus et mense Novembri anno 1865° suspensus est.

Dixia (Dixie sive Dixieland) - sic enim appellabantur civitates meridianae - tota divisa est in partes quattuor, quibus generales septentrionales imperitabant. A suffragiis electionibusque exclusi sunt, quicumque vel officium politicum vel militare obtinuerant in confoederatione pristina. Pro his servis Africanis, qui nunc liberi erant, ius suffragiorum tributum est. Qui antea nec legendi neque scribendi periti saepe nesciebant, quo modo decernerent in senatibus civitatum meridianarum. Afri ab amicis falsis septentrionalibus regebantur, ut tali modo decernerent, quali usus septentrionalium maximus esset. Omnia Afris licebant: Si quis eorum mulierem albam violaverat, non puniebatur. Si vir meridianus mulierem tutaturus Afrum vulneraverat vel necaverat, tribunali militari statim capitis damnabatur et suspendebatur.

Viri albi ergo, ut se defenderent, factionem absconditam et secretam condiderunt, cui nomen erat Cu-Clux-Clan. Cui primus praefuit Nathan Bedfordius Forrest ille, qui castris Pilloensibus expugnatis defensores omnes occidi iusserat.

Relationis pars quinta in proximo libello sequetur)

Martinus Meier



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift

Hic solutionem inscribe et chartam

mitte!

1	2	3	4	5	6	7
2						
3						
4						
5						
6						
7						

Nomen emitentis et inscriptio cursualis:

AZB

8050 Zürich

5+6/93

IDIBVS DECEMBRIBVS
MCMXCIII

RVMOR VARIVS
clo AKAD
Postfach
8050 Zürich



RVMOR VARIVS



TOMVS 16

FASC.101